

INVICTISSIMO PRINCIPI
HENRICO AB AVRELIA,
DVCI DE LONGVEVILLE ET DE TOVTEVILLE,

Principi de Neuf-Chastel, & Vallangin in Heluetia, Comiti de Dunois,
Tancaruille, Chaumont, Gourné, Colomiers, Baroni de Monstreuil-Bellay,
Partenay, Vouuens & Meruans, vtriusque Normaniæ Proregi
& Comiti stabuli hereditario.

QVAM malè tenuitati meæ cum amplitudine tua conueniat, non ignarus, dum ancipitis pugnæ & iudiciorum aleam experiri reformidans, in arenam iatricam tuo ductu, & faustis auibus descendere meditor (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) *hærerem profectò, & paterni obsequij immemor, mallem violatæ religionis reus haberi, quàm tuæ dignitatis aut minùs conscius, aut quod sine scelere & audaciâ accidere non potuit, temerarius cultor æstimari; nisi subinde intelligerẽ eam quam in te omnes suspiciunt animi excelsi atque inuicti magnitudinem custodem dignitatis, quam omnes admirantur potestatem eximiam, pacis ornamentis, comitate nimirum & humanitate, minimè destitui: Téque alterum bello Alexandrum illud quidem cum eo habere commune, quod terrarum orbis angustior sit, quàm vt eius cancellis tua virtus, vt eius desideria, possit terminari; at verò eô nunc apud nos superiorem existere, quod & tam singularis sit tua in omnes, vel eos etiam quibus illudunt felices propensio, vt tibi de teipsô, & aliorum fastu eo nomine triumphanti, nunquam satis ampla bene de singulis merendi seges offeratur. Cuius quidem publicæ, & longè latéque diffusæ humanitatis aura, quùm ad nos sæpiùs priuatim pertinuerit, esset profectò quod animi minùs grati, imò & impij labem subiremus, nisi immortalem eius memoriam votiuô hocce anathemate extare curaremus: eô tamen animô vt nostram hanc gratiam, non earum quæ tibi debeantur, sed quæ à nobis proficisci possunt, maximam esse arbitreris, quùm certum sit priuatorum eam esse fortunam quæ requirit æqualitatem officij, virorum verò principum promerita, ita quâdam quasi maiestate præcellere, vt mutua non reposcant.*

Vale & Viue, tibi tuisq; ex Voto Clientis DIONYSII BAZIN Parisini.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

DIE IOVIS XIV. MENSIS MARTII,

M. RENATO MOREAV, Doctore Medico, Moderatore. 755

An Febribus Purpuratis Malleolorum ἐγχάραξις?

EXANΘHMATΩN alia originem à splene ducunt, eiusque tumores & infarctus dissoluunt; alia non minus humoris aut feruescentis aut maligni consectaria sunt; quàm quæ boæ dicuntur à morsu serpentis chersydri erumpentes: quædam varorum instar protuberant, vt pustulæ venereæ tuberculis Elephanticorum dissimiles, & variolæ puerorum è lactis potius quàm è menstrui vitio natæ: nonnulla cutem sine tumore commaculant, τοῖς ὑπὸ κωνώπων γινομένοις ἀναδήγμασιν haud absimilia, quæ vt malignis febribus superueniunt, sic eas à rubore quo vniuersum corpus describunt πορφυροειδεῖς, à malignitate κακοήθεις denominant. Vetus hic morbus Patago congener è genere quidem humoralium putridarumque febrium habetur, sed pullulat vel ab aëris constitutione σηπεδονώδει, vel ab alimentorum prauitate, vel ab ægrorum viciniâ atque contagione, eorumque sordibus in fomite derelictis. Vbi sporadicus est, sub imagine Synochorum putrium sæuit, communem cum ijs febribus materiam vt & generationis modum sortitus, quæ solâ variolarum ac Morbillorum eruptione criticâ soluuntur. Dum verò epidemicus existit (qualis in Cypro, Morauiâ & Hungariâ grassatus est) & malignus vocatur, & ad pestilentium naturam accedit.

HIC vt sporadico deterior, sic causas obtinet grauiores, eximiam succorum putredinem & corruptelam, quæ quoniam gradu certo definiri nequit, proprietate occultâ totâq; substantiâ circunfertur lædere, quia infesta vehementer naturæ est, veneni (quod nunquam generatur in corpore) nomen amat assumere. Sub ipsum inuasionis initium aliarum quidem febrium ac præsertim continuarum speciem refert, suis tamen τεκμηρίοις deprehendendus. κόποι adsunt αὐτόματοι delirij ac insaniæ metum afferentes quùm vlcerosi sunt & plegmonosi; caput grauatur & repletione cataphoricâ obruitur, quæ viscerum afflictorum soboles est & impuritatis vasorum; sanguine stillant nares minus funestè quàm gingiuæ; inest oculis rubor, singultui & vomitui superueniens malus; linguæ ariditas & scabrities, ori fœtor putredinis argumentum; ventriculo nausea & vomitus, faucibus exulceratio μετ' ἄλλων σημείων τῶν δυσχόλων periciosa, & quùm per corpus erumpunt papulę ferox; quibusdam aluus sicca est, sed quæ à leui medicamento non impunè irritetur; alijs fluida non citra vitæ periculum; Vrinæ tenues & aqueæ, & quùm paucæ sunt lethales, his eneorema γονοειδὲς perniciei; διεσπασμένον cruditatis, ἀφρώδης exassantis caloris index. pulsus occulti, rari, & sanorum pulsibus plerúmque similes.

FRVSTRA in eiusmodi febribus ἐπιδήλους καὶ θεωρητὰς ἡμέρας expectamus, quùm natura neutiquam sui iuris humoris & morbi feratur ad arbitrium. Quod leues sint in principio viresque acquirant eundo, non est humoris putrescentis crassitiei acceptum ferendum, vt nec eiusdem paucitati quod crisis febrium omnium (hecticam & ephemeram si excipias) propria, nusquam in illis contingat vt neque in organicis morbis. Spes salutis, in moderatâ papularum purpurearum eruptione, quæ facilior est in mulieribus quàm in viris, promptior in dorso & pectore quàm in alijs corporis partibus, ac maximè facie, in quâ stigmata purpurea raro conspiciuntur. Color omnis præter rubentem malus; niger interdum salutaris. Foras intro ferri melius non est, quàm sanguinem superiores partes affectare. Hinc principum partium vitia, illinc hæmorrhagia, & sanguinis per os excretio viris nunquam proficua, secus mulieribus, in quarum mammis coaceruatus sanguis licet furorem significet, tamen purpuratâ febre correptis nonnunquam præsidio fuit non minori, quàm mutilis & cacochymis.

PERICVLVM auertes vacuando, reuellendo, deriuando, cùm phlebotomiâ tùm catharsi, quarum illa huic semper pręferenda venit, quoties pár vtriusq; incidit necessitas, etiam in pueris, senibus, pręgnantibus, quouis anni vel morbi tempore, ac ipso die critico. Inanis est quę sine deriuatione aut reuulsione suscipitur vacuatio, temeraria etiam & empirica inanitio quę basilicarum sectione perficitur, vtriq; enim non sufficit. Victus proba ratio nusquam est negligenda, quùm ab eâ vires sustineantur, sine quibus nullum ἡγεμονικὸν tutò pręscribitur: Vino, vis licet insit cardiaca, interdicendum papulis pręsertim erumpentibus. Nullâ habitâ dierum obseruatione vel primô ac secundô die vacuationi sedulò incumbendum. Caue à sinapismis, hydropacibus, hidroticis statim initiò, & perpetuò ab emeticis vehementioribus, quamuis vomitum vomitu solui constet. Cardiaca nisi refrigerantia sint & sine morsu desiccantia prętermittenda, εὐπόριστα operosis & pretiosis potiora. Secta poplitea pręferri posset basilicis, nisi eius ad posteriores partes situs inuerecundam ęgri positionem postularet.

VIX laudari satis potest malleolorum scarificatio, hęc τομῆς species est, quâ cutis vel leuibus incisionibus aperitur, vel paulò altioribus plagis vulneratur. In capitis & oculorum doloribus humeri, in pleuritide affectum latus & lumborum regio; vbi metus est ab interitu partis, distentæ & inflammatæ partes; in ascite, & in mulieribus candidis quibus menstrua substiterunt, crura & tibiæ scarificantur. Hypospasmum qui scarificatus quidam est profundior non tantùm vt molestum, sed vt inanem damnamus,, nec tam probamus in pueris vnius anni scarificatum quàm venæ sectionem, à quo etiam tempore omnibus ex æquo non conuenit, nec cunctis eorum partibus, sed infernis solùm, tutiúsque vesperi ac plenilunio, quàm manè & nouilunio. Surarum scarificatio in purpuratis optima, hæc plenitudinem auffert citra virium iacturam, deriuat sensim & ad inferiora reuellit repentem sursùm humorem affecta cerebri, cordis, præcordiorum regione. iniecto paulò infrà poplitem vinculo, fotu tibiarum diu calidâ administrato, surarum regio multis incisionibus oblongis, profundis & æqualibus κατὰ συρμὸν infernè sursùm vulneratur, citraquidem vehementem doloris sensum, sed qui tamen in causa est cur partes singulæ dum ei quæ dolet & fundit sanguinem suppetias ferunt, sensim sine sensu eâ sarcinâ liberentur, cui ferendæ pares esse non possent.

Ergo Febribus Purpuratis Malleolorum ἐγχάραξις. 201

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS BAZIN Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXX.